

L O V A N I V M.

habet caput, unum Principem, cui omnes in eo parent. Hunc Rectorem vocant, cuius officium est, jus dicere, privilegia tueri, & maleficii reos scholasticis poenis afficere. Cum in publicum prodit, ante eum præcedit Accensus, quem Bedellum, recepto illic vocabulo, vocant, sequuntur famuli. Quantum autem honoris huic dignitati habeatur, hinc appetet, quod Consules, Magistratus & clarissimi quique viri, denique omnium dignitatum gradus, Academiæ Principi assurgant, & decedant è via. Exeunt ad comitia, quæ certis anni temporibus indici solent, plures Accensi anteambulant, singuli manu auratum gestantes baculum, insignia honoris amplissimi. Sunt & alia quædam Lovaniæ non indigna spectatu loca, Xenodochium dotatum amplissime, ubi nunquam non assistunt ægrotis mulierculæ solatiis refoventes singulos, atque ad portantes, quod cuique è valetudine esse constiterit. Est & alio loco digna Duce, digna Principe domus, quam extruendam curavit sumimus Pontifex Adrianus Sextus, cum adhuc in minoribus ageret. Intra mœnia visitur & coenobium Carthusianorum, loco ab omni tumultu, ab omni frequentia semoto, ita ut nec eremiti solitudinem in urbe magnopere desiderent monachi. Hoc ædificio nil ex ea familia vidisse se quicquam splendidius ingenue fatentur exteri. Haec tenus ille. Habet etiam Lovanium Collegium Societatis Iesu olim inchoatum ab Adriano Adriani, Antverpiano, anno salutis 1555. Huic D. Elias Schore, concilio Brabantiae à secretis, vir bonus, & ob pietatem ac maximam in pauperes largitatem, æterna memoria dignissimus, amplas ædes donavit, & post hunc Gualterus Runcelius, D. Petri Canonicus, S. Theologiae Licentiatus, itidem suas pari liberalitate addidit. Sed inter virorum coenobia maxime emicant Dominicanæ, & ab his brachio fluminis divisi Franciscani; ubi columnæ appensa sunt icon & epitaphium I. Lipsii, quod sibi ipse scripsit & poni mandavit.

CIO 15 C IV, 3 Id. Febr.  
Quis heic sepultus, quæris? ipse edisseram.  
Nuper loquutus & stilo & lingua fui;

*Scrutina  
publica.*

Nunc alteri licebit. ego sum *Lipſius*:  
Cui literæ dant nomen & tuus favor.  
Sed nomen ipſe abivi; abiabit hoc quoque;  
Et nil hic orbis, quod pererinet, possidet.  
Vis altiore voce me tecum loqui?  
*Humana cuncta fumus, umbra, vanitas,*  
Et scenæ imago, & verbo ut absolvā, *Nihil*.

Extremum hoc te alloquor:  
Æternum ut gaudeam, tu apprecaſe.

Inter Politica ædificia *Curia* commendatur, tota è secto per artem lapide, figuris & emblematis varie ornata. Magnitudinem justam habet, symmetriam bellissimam: insigne est majorum elegantia vel opulentia monumentum. Habes hic etiam *Arcem* sive *Burgum*, olim Comitum sedem; in qua agebant ob puriorem aërem & prospectum circum pulcherrimum. Heic inter quamplurimos exteros principes Carolus V, puer cum sororibus educatus. Reliqua urbis opera sunt, *Fora* terum venalium IX; *Mole* fluviales X V; *Viae* urbem secantes medium X I I; *plateæ* laterales C X L; *Pontes* lapidei X V I; *Fontes* publici I V. His accedunt *Croijorum*, *Schoon-Vorstiorum*, *Nassoviorum*, & *Bergensium*, Principum palatia.

Externa urbis præcipua hæc sunt: *Fosse* latæ, profundæ, atque ea saepe per vivum silicem, aut scruposam terram percussæ. *Muri* lateritio pulchro opere, & sectis deinde lapidibus albis, magnisque, interstincti aut recti: iudicem validis fundamentis ab ima fossa educti; sic ut tertia operis pars vix in asperatum veniat. *Turres* eximii operis in mœnibus habet L I I I, *Propugnacula* & moles aggesta terra consolidatas X I I I, *Pontes* sublicos X V I, *Portas* X I, è carenti lapide; inter quas spectabili opere visuntur hæ: Bruxellensis, Mechliniensis, Hasbanica, Diestensis, Parcensis: nomina à locis quo ducunt habent: dicuntur alias; Banchensis, Montana, Thenensis, Flierbacenensis. accedunt his *Vinearum* & *Heberlensis*; illa à vinearum, ista ab hortorum in suburbano frequentia nuncupata. Iobbensis à facello D. Iobi in Wesemalia, alias Emissitia dicta, quod illac aqua emittatur.

*Belgica.*

F